

25

D. T. O. M. F.

DISSERTATIONE INAUGURALI JURIDICA

**JUDICEM CIRCA
VITANDA PER JURIA
PROVIDUM,**

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. FRIDERICO AVGVSTO,

PRINCIPE REGIO ET ELECTORATUS SAX. HEREDE,
ETC. ETC.

In Illustri Academia Vitembergensi,

Ex Decreto & Autoritate

Magnifici Jctorum Ordinis,

PRÆSIDE

DN. GODOFREDO SVEVO,

J. U. D. Pand. Prof. Publ. Curia Provincialis, Scabinatus,
nec non Juridicæ Facultatis Assessore,

PRO LICENTIA

**SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA CONSEQVENDI,**

IN AUDITORIO MAJORI

AD D. II. NOVEMBR. M D CC II.

*HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS,
SOLENNI VENTILATIONI SISTET*

IOH. GODOFREDUS FRITSCHE,

Dresdenfis.

VITEMBERGAE, PRELO GERDESIANO.

ss. jur. civ.
9/26

JUDICIALIUM
VITAE PERIURIA

DR. RUDOLPHUS

DR. RICHARDUS AUGUSTUS

DR. RICHARDUS

DR. GODOFRIDUS

DR. RICHARDUS

DR. GODOFRIDUS

DR. RICHARDUS

*PERILLVSTRI, GENEROSISSIMO
ATQVE EXCELLENTISSIMO*

**DOMINO,
DNO. OTTONI
HENRICO**

**LIB. BAR.
A FRIESEN,**

Dynastæ in Rotha, Jeschvitz
& Ruben,
&c. &c.

**POTENTISSIMI REGIS
POLONIARUM ET ELECTORIS
SAXONIÆ MINISTRO
STATUS INTIMO,**

**UT ET
CANCELLARIO EMINENTISSIMO,
DOMINO SVO GRATIOSISSIMO,**

IN
SUBJECTISSIMI OBSEQVII TESSERAM
SUBMISSAMQVE STUDIORUM
COMMENDATIONEM,
DISSERTATIONEM HANC
INAUGURALEM
CUM VOTO PERENNATURÆ
FELICITATIS
OFFERT ET CONSECRAT
PER ILLUSTRIS EJUS EXCELLENTIÆ
HUMILLIMUS CLIENS
JOH. GODOFR. FRITSCHÉ.



PROOEMIUM.



Vanta probationum in causis Judicialibus tum utilitas fit tum necessitas, non tantum ex Jure nostro passim constat, & potissimum ex *l. 1. ff. de testib. Nov. 90. in pr. l. 30. ff. de testam. tut. l. 22. C. ad L. Corn. de fals. § l. 4. C. de tempor. § repar. appell.* ubi Sacratissimus Imperator Justinianus eam VERITATIS VESTIGIUM & LUMEN appellat: Sed ipsa in super experientia quotidiana satis evidenter docet, cum Probatio sit quasi anima Processus, ad quam fere omnis nostra Legum scientia se reducit. vid. Mascard. *de probat. Vol. 1. Qu. 1. n. 4. § 12.* Inter hujus autem Probationis, quæ non una est, species etiam Jusjurandum haberi vel saltem deficientis alterius Probationis locum supplere, inter omnes confessum scimus, quare & in *l. 1. ff. de jurej.* maximum litium expediendarum remedium jure merito audit. Sæpe enim numero accidit, ut non tam Jus seu veritas quam probatio deficere videatur *d. l. 30. ff. de Testam. tut.* quo casu tanquam ad sacram anchoram, ad hoc confugiendum remedi-

um, quod ab omnibus fere gentibus moratoribus ad eruendam veritatem firmisimum habitum fuit. Quam ob causam Cicero *lib. 3. de Offic.* Nullam rem ait, efficaciorē a Majoribus excogitatam esse, quam Jurisjurandi religionem. Estque juramentum, uti idem alibi loquitur: quasi pignus quoddam & arrha fidei, quæ omnis Justitiæ fundamentum est. vid. *Setser de Juram. in præf. n. 3. add. Finkelth. Obs. 90. n. 14. Grot. lib. 2. c. 13. §. 1.*

Nonne enim huic fini introducta sunt potissimum juramenta, ut quantum fieri possit, securus aliquis reddatur de alterius fide ac veritate? Cæterum cum circa res & bona temporalia acqvirenda retinendæ præcipue usurpetur hoc sacrosanctum veritatis eruendæ medium, atque Supremus omnium Judex & Seruator cordium ad vindicanda falsa invocetur a jurante, ac sic non tam corpus vel temporale quicquam, quam ipsa anima jurantis æternæ omnino salus veluti in arrham dicendæ veritatis & obsidem exponatur: Optandum sane fuerit, ut hæc Jurisjurandi religio ea semper, quæ par est, non modo veneratione sed & prudenti circumspeditione cum a Partibus ipsis tum præsertim a Judice tractetur, ne in Juramenti vicem horrendum forte PERJURIUM admittatur. Hoc quippe cane pejus & angve fugiendum ac quovis modo declinandum Judici tempestive esse, quis negaverit?

Hæcce animo mecum peragens non in utilem operam me navaturum esse censui, si præsentī DISPUTATIONE INAUGURALI JUDICEM CIRCA VITANDA PERJURIA PROVIDUM sifterem, ac modos, quibus perjuria Judex vitare queat, demonstrarem, simulque casus, ubi hæc

hæc Judicis provida cura adhibenda potissimum veniat, indagarem. Haud equidem ignoro, talem me aggredi disputandi materiam, cujus gravitas ob temporis infimul penuriam, ingenii mei hoc scribendi genere minus exercitati tenuitatem deterrere potuisset; Ast quia in magnis quoque aliquid saltem voluisse interdum satis est: Ideo confisus potius humanitate ac dexteritate BENEVOLI LECTORIS, cui liberio-rem amicam tamen ubique censuram relinqvo, in proposito meo pergo. Hujus autem initium fiat in NOMINE DOMINI & SALVATORIS NOSTRI JESU CHRISTI, in quo ad omnia consilia atque actus nostros semper progredimur, exemplo Divi Imperatoris Justiniani in *L. 2. C. de offic. Præfect. Prat. Afric.*

THES. I.



Udex vel a Jure dicendo vel a Judican-
do dictus, est persona publicam habens
autoritatem de causis controversis co-
gnoscendi & dijudicandi *arg. l. 13. §. 2.*
ff. de recept. arbitr. vel ex mente Ju-
stiniani: Vir bonus, juris dicendi &
æqvitatæ statuendæ peritus, publica au-
toritate ad id muneris vocatus. vid. B.
D. Ziegler. *Dicast. l. de Jud. Offic. Concl.*
l. §. 20. Differabat olim a Magistratu, qui non judicabat, sed
jus dicebat, quod in Jure, non in Judicio fiebat. Vinn. *Part.*
jur. civ. lib. 3. c. 3. & 13. it. Strauch. *dissert. Acad. 21. th. 2.* Sed
hodie supervacuum est hæc de re quærere *ob. l. 2. C. de pedan.*
jud. vid. Rittersh. *ad Novel. Part. 9. cap. 5. n. 6.* Georg. Eber-
lin. *in tit. ff. de O. J. cap. XIV. n. 20.* Ulr. Huber. *Prælect. Jur.*
Civ. Institt. Lib. IV. tit. 17. Dividitur a Doctoribus in *Ordina-*
rium

rium, qui Jure suo vel Principis beneficio vel a Lege, vel Universitate, vel Consuetudine, Jurisdictionem & plenissimam causarum cognitionem habet *l. 5. ff. de jurisd. l. 5. in fin. C. de judic. l. 6. ff. de jurisd. l. 12. §. 1. ff. de judic. Specul. lib. I. tit. de Offic. Ordin. §. 2. n. 1. Joh. Emer. a Rösbach. in Proc. Civ. tit. 4. n. 5. Rittersh. cit. l. P. 9. cap. VI. n. 9. Carpz. in Proc. tit. 2. art. 2. Hæc jurisdictio exercetur a Camera Imperiali, Strauch: *dissert. Exoter. 13. th. 5. Blum. proc. Camer. Tit. 25. §. 7. seq.* in Saxonia in Senatu Aulico, & Appellationum, in Curis Electoralibus, Præfecturis, Nobilium Schrifftasiorum Ambtsasiorumque judiciis, ac municipalibus Magistratibus. Carpzov. *d. a. 2. n. 156.* vid. B. D. Mylii Professoris olim in Acad. Lips. Publ. celeberrimi, ac Præceptoris mei ad cineres devenerandi, *Nucl. Process. Judic. Civil. p. 9. & Extraordinarium seu delegatum*, qui non proprio Jure sed ex alterius voluntate judicat. Carpz. *cit. l. art. 3. Martin. in O. P. J. S. tit. I. §. 1. n. 9.* Talis est Commissarius & Mandatarius Jurisdictionis. vid. B. Myl. *alleg. loc. p. 9. §. 10.**

THES. II.

Officium Judicis quodnam sit, quibusve virtutibus ipse debeat præcipue esse præditus, integros tractatus scripserunt Gabriel Alvarez de Velasco *de Judic. Perfect.* B. Ziegler *de Jud. Offic.* alique Doctores passim quos vide. In his duobus autem ejus potissimum consistere officium: (1.) in CAUSÆ COGNITIONE quando tum circa negotii veritatem (i. e. factum;) tum circa ejus Justitiam (i. e. juris applicationem) inquisitio instituitur. *l. 9. C. de judic. l. 3. ff. de in integr. restit.* vid. B. Ziegl. *c. tr. dissert. Prelim. §. 17.* (2.) in ejus DECISIONE, prout legibus aut constitutionibus aut moribus proditum est, *pr. J. de Offic. Jud.* communis est Doctorum sententia, eaque fundata in *L. 13. in fin. C. de Sentent. & interloc.* ubi veritatem & Legum ac Justitiæ vestigia omnes Judices sequi debere monet Divus Justinianus, ac omni modo cum Veritate & Legum observatione judicium disponere in *L. 14. pr. C. de Judic.* vid. Rittersh.

tersh. cit. l. cap. VI. n. 121. Judex quippe ad nihil aliud inventus est, quàm ad veritatem indagandam, cui semper locus esse debet l. fin. C. de probat. l. 3. ff. de jurej. Nathen. Justit. vulnerat. tit. XI. Cap. 1. n. 4. Hinc etiam pro indaganda veritate omnia rimari, rei que qualitatem plena inquisitione discutere jubetur d. l. 9. C. de judic. junct. c. 11. XXX. qv. 5. l. 13. ff. de Min. 25. ann. l. 74. ff. de judic.

THES. III.

Hæc autem Judicis diligens inquisitione in Partes & rerum momenta instituenda potissimum venit circa Probationem Partium litigantium in Judicio decenter præstitam, ubi nimirum Judicis Cura & officium semper erit, probe disquirere, an e. g. Actor intentionem suam secundum substantialia actionis intentatæ requisita probaverit nec ne? & quomodo? Mynsing. Resp. 4. n. 8. & Resp. 10. n. 2. seq. singulasque facti circumstantias & allegationes ab eo factas sedulo investigare l. 12. C. de judic. Gail. 1. Obs. 108. n. 8. quò scil. ipsam Veritatem eo citius ad lucem producere queat l. 6. §. 1. ff. de offic. Pres. l. 25. C. de probat. Cravett. Cons. 203. n. 29. & Cons. 307. n. 9. Carpz. in Proc. Tit. 13. Art. I. n. 71.

THES. IV.

Fieri vero istam Probationem vel per Testes, vel per documenta, vel per Juramentum, nemo non novit, qui vel primoribus, quod ajunt, labris degustavit diffusam Processus materiam. Et quamvis Juramentum non proprie esse speciem probationis, sed potius relevationem a probando, & in locum saltim deficientis probationis succedere indeque subsidiariam dici probationem, Doctores contendunt. vid. Brunnem. ad l. 38. ff. de jurej. n. 8. Rauchb. Part. I. Qv. 9. n. 24. Carpz. P. I. C. 16. D. 11. n. 10. & C. 12. D. 5. n. 2. Ejusdem tamen effectum habere l. 11. §. f. ff. de jurej. Carpz. P. I. C. 17. D. 14. ac frequentissimum hodie in Judiciis esse hujus usum, certum est. Nullum enim omnino fere est negotium, nullus contractus, nulla actio, in qua de juramento & de perjurio quæri

B

non

non possit. Setser. *de juram. in Prefat. n. 1.* Circa Juramentum igitur Judex omnem diligentem curam ac judicium, ne vel deferatur vel præstetur temere, adhibere seseque in isto admittendo aut deferendo providum ac circumspèctum gerere debet. Beust. *in l. 31. n. 457. ff. de jurej. add. Carpz. in Pr. Crim. P. 2. Qv. 97. n. 10.* Etenim cum effœta hodie rerum ætate, nimia veritatis prodigalitas omnem juramentorum curam ita ferme consumpsisse videatur, ut complures homines religionis contemptu ad jurandum imo & pejerandum perfaciles reperiantur, alii contra perquam timidi metu numinis Divini ad superstitionem usque a jurando abhorreant *l. 8. in pr. ff. de condit. instit. l. 3. ff. de jurej. l. 21. C. de fide instrum. Carpz. P. 1. C. 12. D. 34. n. 1. seq. & Def. 39. n. 7. it. Lib. 3. tit. 5. Resp. 43. n. 9.* Quis quæso hic a Judice quam maxime haud desideraverit omnem omnino diligentiam ac sollicitam curam in deferendis confirmandisque juramentis, quò majus inde, si hanc neglexerit, emergit damnum & periculum, nempe perjurium, cujus tamen viam & occasionem omni modo devitare jubent Leges in Jure nostro *L. 2. fin. C. de indict. viduit. Nov. 22. cap. 43. L. 1. C. si adv. vendit. Nov. 82. cap. XI. §. 1. l. 13. §. 6. ff. de jurej. l. 3. in fin. C. de Aleat. l. 4. C. de recept. arbitr. C. 1. XXIV. qv. 3. cap. pen. X. de his que vi. C. 3. X. de cohab. Cleric. Vid Berlich. P. 1. Concl. Pract. XXIX. n. 35. Carpz. Lib. 3. tit. 5. Resp. 53. n. 13.* Ubi enim majus versatur periculum, ibi cautius esse agendum constat *l. 1. §. 5. ff. de Carbon. edict. c. 3. de elect. in 6to. Carpz. L. 2. t. 8. Resp. 90. n. 1. it. Lib. 5. tit. 1. Resp. 6. n. 27. P. 3. Dec. 221. n. 21. Proc. tit. 13. A. 7. n. 9. Pract. Crim. p. 3. Qv. 103. n. 4.* omnibusque modis providendum, ne quid alterius incommodo aut periculo, quod contra jus vel utilitatem publicam sit, injuriose committatur *Carpz. ibid. P. 3. Qv. 103. n. 4. seqq.*

T H E S. V.

Est vero Perjurium mendacium juramento dolose firmatum *c. 2. XXII. qv. 2. Carpz. in Pr. Crim. P. 1. Qv. 46. n. 2.*
Setser.

Setfer. *de juram. lib. 1. cap. 27. n. 1.* Decian. *Tract. Crim. lib. 6. cap. 7. n. 1.* vel Violatio ac transgressio dolosa jurisjurandi legitimi *c. 2. §. dejeravit. de sentent. & re judic. in 6to. ubi Dd. Weseub. Conf. 53. n. 18.* Dicimus autem dolosam, quia perjuriū absque dolo non committi *c. 1. XXII. qv. 2. junct. l. 26. ff. de jurej. communis est Doctorum opinio, quos allegat Jul. Clar. sentent. lib. 5. §. perjuriū. vid. Setfer. de juram. lib. 1. cap. 27. n. 3. & 8.* Consistit itaque forma perjurii in eo, ut aliquis sciens doloseque juramento nominis Divini attestatone facto contraveniat. Unde etiam atrox atque grande delictum Perjuriū Doctoribus audit. Andr. Rauchbar. *P. 2. Qv. 3. n. 35.* Decian. *c. tr. lib. 6. cap. 9. n. 1.* Zahn. *de Mendac. lib. 3. Cap. 12. n. 17.* Carpz. *Pr. Crim. P. 1. Qv. 46. n. 3. seq.* ubi rationem hanc addit, quia scil. primam Decalogi tabulam perjurus violat, pietatem ac religionem labefactat, Nominis Divini abutitur, Deumque justissimum ac potentissimum sibi ipsi optat vindicem. add. Balduin *in Cas. Conscient. lib. 2. cap. 9. Cas. 16.* quin & in crimen læsæ Majestatis Divinæ incidit. Weseub. *in parat. ff. ad L. Jul. Maj. n. 7. in fin.* Carpz. *Def. Consist. lib. 3. tit. 6. Def. 80. n. 8 seq.*

THES. VI.

Sicuti itaque, ceu jam dictum est, occasio perjurii tanti criminis committendi omni modo præcidi atque amputari debet Jason *in l. 3. n. 8. & Beust. n. 24. ff. de jurej.* Richter. *Consil. 47. n. 2.* Ita Judex qui non tantum suæ conscientiæ sed & partium habere debet rationem Brunnem. *in Proc. Civil. Cap. 1. n. 13.* forumque animæ attendere & quantum in ipso est, conscientiis consulere Mev. *P. 1. Dec. 146. n. 7.* Decianus. *Tr. Crimin. Lib. 2. cap. 12.* Brunnem. *Consil. 62. in pr.* circa istud vitandum atque declinandum providus ac circumspectus quam maxime sit necesse est; Considerando nimirum in juramenti, sine quo perjuriū esse nequit Decian. *d. tract. lib. 6. cap. XI. n. 1.* Setfer. *Lib. 1. Cap. 19. n. 11.* delatione causas & personas, earumque inter qualitatem ac

quantitatem probe distingvendo, non admittendo eos ad jurandum, quos leves & de perjurio suspectos esse scit Richter. *P. 2. Consil. 15. n. 92. seqq.* Quod enim suspecto de Perjurio juramentum non sit deferendum, eleganter differit Augustinus, cujus verba relata in *c. 5. XXII. qv. 5.* digna sunt, quæ huc transcribantur: Ille, inquit, qui hominem provocat ad jurationem, & scit eum falsum esse juraturum, vincit homicidam: quia homicida corpus occisurus est, ille animam, imo duas animas, & ejus, quem jurare provocavit, & suam. Scis verum esse quod dicis, & falsum esse quod ille dicit, & jurare compellis? Ecce jurat, ecce pejerat, ecce perit. Tu quid invenisti? imo & tu periisti, qui de illius morte te fatiare voluisti. Quæ utinam verba omnes litigantes simul cum Judice persuaderi sibi paterentur esse verissima, certe non tam frequenter perjurii fenestræ aperirentur. Non enim hic cum Socino facere possumus, qui in reg. 210. non peccare dicit, Judicem si ad instantiam partis ab aliquo juramentum exigat, quamvis illum perjurio se obligaturum sciat. Neque movet, quod in glossa *Sächs. Landrecht. lib. 2. art. 1.* diserte dicatur: *Das der Richter ihn nicht schweren lasse/ sondern das Recht/ und thue in dem nicht unrecht/ ob er gleich wüste/ daß er unrecht schwüre &c.* Quia hoc in casu conscientia omnino habenda est ratio, contra quam qui agit, ædificat ad gehennam *c. 13. X. de restitut. spoliat.* Iis ergo qui veritatis studium non habent, sed scurriliter mendaces sunt, vel alias in suspicionem perjurii veniunt, jusjurandum permittendum neutiquam venit. *Setser. c. 11. Lib. 3 Cap. 3. n. 58. Martini ad O. P. 7. S. Tit. 18. §. 2. n. 19. seqq.* ne sciens & volens consentire videatur Judex in perjurium *Balduin. Cas. Consc. lib. 4. cap. 12. Cas. 8.*

THESES. VII.

Cæterum cum ad formam perjurii ipsum quoque juramentum requiratur, ideo e re esse ducimus, si juramentorum species brevibus enarremus, circa quæ nimirum Judicis Provida Cura ad vitanda Perjuria potissimum desideranda venit.

Nec

Nec tempus autem nec pagina pateretur, ut uberiores essemus enumerandis singulis juramentorum speciebus, ac excogitatis distinctionibus; de quibus Struvius, Franzkius aliique Commentatores ad *tit. ff. & C. de Jurejur.* consulendi sunt, add. Seraphin. de Seraph. *Tract. de Privil. juram. in præfat.* ibique Benekendorff. *n. 26. seqq.* Martin. *Comment. For. in O. P. J. S. Tit. 18. rubr.* ad quos B. L. remittimus. Cum in præsentis instituto non nisi de juramentis in judicio præstandis, quæ Judex aut ex officio, aut ad petitionem & instantiam partium defert, acturi simus, indagando simul præcipuos casus ac modos, quibus Judex in delatione Juramentorum aut hac confirmanda ad perjuria vitanda providus esse possit atque debeat.

THES. VIII.

Est itaque Juramentum in Judicio præstandum duplex potissimum: *aliud* Judiciale *aliud* Legale seu Necessarium. Juramentum Judiciale est Jusjurandum a parte parti in Judicio accedente Judicis approbatione litis decidendæ causa delatum *l. 9. l. 12. §. 1. C. de R. C. Setfer. tr. de juram. lib. 4. cap. 1. n. 10.* Potest vero hoc Juramentum deferre, hoc est, provocare ad jurandum, dictare jusjurandum vel inferre jusjurandum. *l. 28. §. fin. ff. de jurej. l. 11. l. 12. pr. C. de R. C. vel Actor vel Reus utputa super exceptionibus actori oppositis. Berlich. P. 2. Dec. 297. etiamsi deferens nihil probaverit l. 7. l. 34. it. l. 35. pr. ff. de jurej. l. 11. §. 1. ff. de act. rer. amot. l. 25. §. pen. ff. de probat. Vid. Carpz. Lib. 1. Resp. 77. n. 9. Franzk. ad tit. ff. de jurejur. num. 103. junct. Text. O. P. J. S. tit. 18. §. 1. vers. Soll ihm solches/wenn er gleich keinen Schein noch Beweis &c. ibique Martin. n. 33. seq. & Ziegler. p. m. 114. Ubi tamen Judicem quandoque, cum manifesta adsit calumnia juramentum deferentis, neque ulla probationis appareat species, eum, qui defert, repellere posse, ne temere alterius conscientia jurisjurandi religione tentetur monet Huber. *Prel. Civil. ad tit. ff. de jurej. n. 8. in fin.* Idque haud absque ratione. Sicuti enim in causa juramenti judicium ceu unus ex tribus ejus comitibus*

semper adhibendum venit, ne vel deferatur vel præstetur temere juramentum; Ita non tantum Pars deferens aut jurans, sed & ipse Judex confirmans hanc delationem hujus judicii rationem prius semper habere debent. Consideranda vero est hæc in deferendo juramento temeritas vel ratione personæ vel ratione causæ. Quoad personam, si v. c. deferatur ad jurandum inhabili *l. 26. pr. ff. de jurej.* vel probabiliter pejeraturo. Struv. *in Synt. §. Civ. Exerc. 17. 6. 14.* Quoad causam vero, si ea fuerit levis aut aliunde probabilis *c. 2. X. de probat.* Inhabilis ad jurandum, aut suspectus de perjurio quisnam sit late ostendunt doctores ad tit. de Jurejur. In genere requirunt, ut cui juramentum defertur, aliquem rei controversæ intellectum habeat, cum ignorans & invitus sub alieni compendii emolumento perjurium anceps subire minime compelli debeat. *l. 4. pr. ff. de in lit. jur.* Hinc Pupillo juramentum quidem posse deferri, actum tamen jurandi differendum esse, usque dum factus fuerit pubes, monet post alios Dd. Carpz. *P. 1. C. 12. Def. 42. 43. & Lib. 2. Resp. 82. it. in Proc. tit. 11. art. 2.* Cum enim nullam vim habere queat juramentum ejus, qui non intelligit, de quo juret, aut jurantis, qui nondum pollet judicio *l. 1. §. impuberes. C. de fals. monet. l. 189. ff. de R. §. 9. & 10. §. de inutil. stipul. l. 18. C. de jure deliber. vid. Setser. d. tr. Lib. 4. cap. 3. n. 18.* igitur nec Pupillus, qui scientiam rei aut facti, de quo agitur, habere nequit *l. 5. ff. de R. §. l. 8. & 9. ff. de acquir. hered.* Carpz. *in Proc. tit. 12. art. 1. n. 40.* a Judice ad delati juramenti præstationem statim admittendus erit. An vero interea in favorem Pupilli, quò lites eo citius finiantur *l. 13. C. de judic. l. 2. C. de re jud. Judex* permittere possit, ut per intermediam personam vel Tutorem jurandum nomine pupilli præstetur? quæritur. Ubi concordante Praxi negativæ omnino sententiæ standum esse ducimus, propter textus expressos *in Landrecht lib. 1. art. 46. vers. wo es aber. junct. §. 10. Ordin. Proc. Jud. Sax. Tit. 18. verb. & soll auch ein jeder Eyd. add. l. 11. §. 4. C. de reb. Cred. l. 8. §. ult. l. 9.*

l. 9. ff. de acquir hered. Carpz. P. 1. C. 12. D. 42. & Constit. 24. D. XI. in Proc. tit. XI. art. 2. n. 38. & P. 3. Dec. 230. n. 10. Quo facere videtur Ulpianus in l. 11. §. 2. ff. de act. rer. amot. ubi ait, iniquum esse de alieno facto alium jurare; Et insuper accedit ratio, quod juramentum sit aliquid personalissimum c. 14. X. de jurejur. Principalis personam non excedens, adeoque nec per intermediam personam expediri queat l. 12. §. 4. C. de reb cred. vid Ant. Fab. in Cod. lib. 4. tit. 1. Def. 31. n. 1. postquam actus jurandi, ad majorennitatem usque dum pupilli pervenerint, suspendi potest. Berlich. P. 1. Concl. 34. Carpz. lib. 3. Resp. 62. n. 7.

THESES. IX.

Ex hisce igitur quæ jam diximus, patet nec procuratori facile deferendum esse juramentum, aut ut juret admitendum; cum de facili accidere queat, ut rei, de qua juramentum ipsi defertur, nullam scientiam habeat, quod & expressis verbis confirmatur in l. 34. §. 3. ff. de jurej. Cui & accedit quod magis solliciti sint de salute animæ litigaturlentes, ipsimet in persona jurantes, nec tam facile ad litigandum profiliant quam si per Procuratorem admittantur, haud ponderantes, Procuratorem quidem eorum nomine jurare sed non eorum nomine committere perjurium & in gehennam descendere. Venth. de Valent. in Parib. litig. Lib. 2. cap. 7. Carpz. P. 1. C. 12. D. 39. & P. 1. Decis. 37. it. P. 2. Dec. 178. ubi docet Jure Saxonico omnia juramenta regulariter in propria persona præstanda esse, nec Procuratorem ad ea admitti. add. Martin. Comm. For. O. P. J. S. tit. 18. §. 10. n. 1.

THESES. X.

Quænam causæ potissimum materiam jurijurando judiciali exhibeant, & quæ minus, jam inquirendum est. In omnibus autem actionibus & Causis Civilibus, juramenti delationem locum habere posse affirmant Doctores; licet etiam famosa sit & Criminalis civiliter tamen, & ad

ad rei restitutionem, non vero ad pœnam infligendam intentata per *l. 3. §. 1. l. 28. §. 4. l. 9. §. 2. ff. de jurej.* Tutius tamen erit asserere nec in his admittendam esse promiscue juramenti delationem. Jason. *in repetit. l. 31. num. 274. ff. de jurejur.* Jul. Clar. *lib. 5. sentent. §. ult. qv. 63.* Dan. Moller. *ad Part. 4. Constitut. Elect. 42. n. 4. & seqq.* Ziegler *ad Lancellot. Instit. 7. Can. Lib. 3. tit. 14. §. 37.* ad vers. *si reus famosus &c.* ubi Interpretes Juris Saxonici in his causis delationem non admittere monet; Quamvis allegatus ibi Carpz. se correxerit *Decis. 231. n. 14. conf. Decis. Noviss. Elect. XVII.* An igitur in actione depositi ad rei restitutionem intentata, si Depositarius doli & quod rem depositam celaverit vel abstulerit arguatur, juramentum deferri poterit, & delatum a judice protinus confirmari? Ubi omnino attendendum judici, num adsit metus perjurii, propter conservandam famam & avertendam invidiam, pœnamque corporis afflictivam, ad quam etiam hac in causa deveniri posse haud ambigendum est, si talis nimirum perhibeatur depositarii dolus & ablatio, quæ furtum quoddam notabile inferat vid. Carpz. *P. I. Const. 12. Def. 31.* Magis itaque in Causis Criminalibus Juramentum Judiciale locum habere posse, negamus cum Brunnem. *in Proc. Civil. Cap. 23.* Struvio aliisque, idque tum propter metum perjurii, ubi reus magnum ob periculum evitandum vel centies possit esse perjurus; tum quia publicæ utilitatis ratio exigere videtur, ne hujusmodi causæ juramento decidantur, quæ alias probationes luce meridianâ clariores merito requirunt per *l. ult. C. de probat.* Si enim admitteretur delatio, cogeretur reus propriam confiteri turpitudinem. Coler. *P. 1. Dec. 141. n. 9. 10.* In Matrimonialibus Causis quandoque Juramenti delatio locum habere potest, si nempe deferatur juramentum affirmativum pro Matrimonio contrahendo; non vero si negativum, si scil. deferatur juramentum in casum negationis sponsaliorum ac matrimonii; adeoque negaturo, ut juret, sponsalia non esse

esse

esse contracta *c. fin. X. de transact. junct. l. 2. ff. de jurej.* Carpz. *P. 1. C. 22. D. 3. & lib. 3. Resp. 57. & in Proc. tit. XI. art. 1. n. 67. seqq.* ut etiam evitetur collusio inter litigantes super matrimoniali causa *c. 5. X. de eo qui cognov. uti* Facultas Vi-teberg. pariter cum consistorio Mens. Febr. 1698. ad *Floren-tin. Pontium* versus Zittav. respondit. Reliquas causas in qui-bus juramentum deferri possit vel non, recenset *Setser. d. tr. lib. 4. Cap. 4. per tot. Martin. ad. d. Tit. 18. §. 1.*

THESIS XI.

Ipsium modum deferendi hoc juramentum judiciale quod concernit, duplex est: Vel enim defertur alicujus Con-scientiæ solum; Es wird einem die Klage ins Gewissen gescho-ben; Vel scientiæ & notitiæ simul: ins Gewissen / Wissens-schaft und wohlbewust. *Struv. Synt. J. Civ. Exercit. 17. th. 32. Carpz. P. 1. C. 12. D. 41.* De Differentia illarum vocum inter se: Gewissen / Wissenschaft und Wohlbewust consuli pot-est *Berl. P. 1. Concl. 55. n. 18. seq. Carpz. P. 1. C. 12. D. 40. & 41. it. Const. 24. D. 1. & Lib. 3. Resp. 42. n. 11.* Si itaque Actor in-tentionem suam committat conscientiæ ipsius Rei, wenn er Beklagten die Klage nur ins Gewissen stellet / tunc reus jurare tenetur, si concernat factum proprium, & qui-dem de veritate, quod certo sciat jurans, rem ita se ha-bere, nec juramentum isto casu referre potest per *O. P. J. S. Tit. 18. §. weil es aber. vers. also daß im ersten Fall. Carpz. d. Def. 40. & Constit. 14. D. 10. it. in Proc. tit. XI. art. 1. n. 153. seq.* etiamsi Reo negotium scientiæ quoque ac notitiæ ejus fuerit commissum: wenn ihm gleich die Klage super facto suo proprio nicht allein ins Gewissen / son-deru auch in sein Gewissen / Wissenschaft und Wohlbewust ge-stellet worden. *Carpz. ad d. constit. 14. D. XI.* Quod si vero Clausula hæc: in sein Gewissen / Wissenschaft und Wohlbe-wust super facto alieno usurpata sit, jurare tenetur per *O. P. J. S. cit. Tit. 18. §. und ob wohl. vid. Berlich. P. 1. Concl. 32. & Carpz. dd. loc. sed saltim de Credulitate & notitia:*

C

quod

quod nimirum jurans credat & probabiliter sciat, hoc vel illud verum esse, aut quod etiam notitiam ejus rei non habeat.

THES. XII.

Et hæc distinctio: ob nemlich die Klage einem in sein Gewissen / Wissenschaft und Wohlbewust / oder allein in sein Gewissen gestellet werde &c. etiam circa juramentum Credulitatis ab heredibus super facto defuncti præstandum observanda potissimum venit Judici, antequam juramenti delationem per sententiam confirmet: Ut scil. priori casu, facto defuncti, heredis conscientia scientia & notitia commisso, semper & indifferenter heredes de credulitate (so viel ihnen von den Sachen bewusst und sie glauben &c. vel daß sie darvor hielten und glaubten daß &c.) jurare teneantur: Posteriori vero & facto defuncti heredis conscientia tantummodo commisso, is ne quidem de Credulitate jurare teneatur. Berlich. P. 1. Conf. 55. n. 18. seqq. Carpz. d. P. 1. C. 24. D. 1. & in Proc. tit. XI. art. 6. conf. O. P. J. S. tit. cit. §. weil es aber. Dum heres justam & probabilem rerum a defuncto gestarum ignorantiam habere censetur. l. 12. ff. de jurej. l. 42. ff. de R. 7. vid. Carpz. lib. 3. Resp. 61. n. 5 seq. & lib. 6. Resp. 66. per tot. ac super facto alieno jurando anceps incurrere de facili potest perjurium l. 11. ff. rer. amot. vid. Richter. P. 6. Consil. 36. n. 9. Carpz. P. 3. Dec. 230. n. 5. Ad hoc ergo vitandum Judex providus curabit, ut heredi detur spatium inquirendi in facta defuncti, ubi postea sequenti modo ipsi jurandum erit: Daß er nach allem angewendten Fleiß von dieser väterlichen Schuld nichts erfahren können / und also nicht glaube / daß solche Schuld jemahls wahrhafftig contrahiret &c. Plura de hoc Credulitatis juramento vid. apud Moller. & Carpz. ad d. Constit. 24. Berl. d. Concl. 55. Martin. Comm. in O. P. J. S. d. tit. 18. §. 5. Et hinc tutius atque consultius esse ista conjungere: Gewissen / Wissenschaft und Wohlbewust / Dd. svadent: vid. Schneidew. in S. XI. n. 90. 7. de Action.

THES.

THES. XIII.

His aliisque probe consideratis Judex hanc judicialis juramenti a parte factam delationem, per sententiam vel approbat vel rejicit. Ad ejus enim præstationem in judicio nemo admittendus venit, priusquam per sententiam a Judice jurare fuerit jussus *l. 12. ibi: sed juramento illato, cum hoc a partibus factum fuerit, & a Judice approbatum C. de Reb. Cred. ibique Brunnem. n. 16. & 21. l. 4. §. 1. ff. de in lit. jur. O. P. I. S. Tit. 10. §. 9. vers.* Wenn nun also ein Eyd zu schwören auferleget wird. *vid. Carpz. P. 1. C. 12. D. 34. & Lib. 3. Resp. 52. n. 1. seq. Proc. d. t. 11. art. 2. Martin. ad d. §. 9. O. P. 7. S. n. 1. seqq.*

Priori casu ita sententionatur:

Diweil Beklagter auff die erhobene Klage geantwortet/ und derselben nicht geständig/ so ist er hierüber sein Gewissen Wissenschaft und Wohlbewust/ dahin es ihm auff den Verneinungs-Fall gestellet worden/ nach vorhergehenden Klägers Eyd vor Gefahrde endlich hierüber zueröffnen schuldig; Er wolle denn Klägern den Haupt-Eyd referiren/ oder sein Gewissen mit Beweis vertreten *zc.* damit würde er in gehöriger Frist billig zugelassen/ und ergethet darauff ferner was recht ist *zc.*

Posteriori vero hoc modo:

Diweil Beklagter auff die erhobne Klage geantwortet/ und derselben nicht geständig/ so ist Kläger den Grund seiner Klage und so viel ihm daran verneinet/ in Sächß. Frist/ wie Recht/ zu erweisen schuldig; Darwider Beklagten seine Gegen-Nothdurfft billig vorbehalten wird/ und hat die Eyd's Delation nach Gelegenheit disfalls nicht statt. *B. N. W.*

THES. XIV.

Circa Notulam in juramento Judiciali concipiendam, cum necessarium omnino sit Formæ, in qua istud vel ab Actore in libello aut Replicatione, vel a Reo super Exceptionibus

delatum, insistere inque hoc plerumque Deferens nimis accuratas esse soleat, igitur ad Providi Judicis officium pertinere sane videbitur, cavere, ne, si verbis libelli &c. ad hujus integrum quidem contextum respicientibus, in Notulâ vero ex libello isto saltem extractâ ad Veritatem Causæ nihil afferentibus præcise nimis (sæpe ad vexam tantum) inhærere velit Deferens, ipsum audiat, sed potius, monente juraturo, verba libelli, omnis scrupuli arcendi causa ad præsentem notulam adaptet. Quamvis in causa C. W. v. T. zu B. contra A. E. v. T. zu St. legisse memini, cum in libello Actor his verbis:

Solte aber Beklagte / daß sie von ihren Ehe-Herrn obgedachte Worte: daß die Nächte Klägern zukämen: nicht gehört / negiren / will Kläger dieselben ihr hiemit in ihr Christl. Gewissen gestellet haben &c.

usus esset, monente Rea, vocem obgedachte Worte in Notulam hanc Juramenti transcribendam non esse, sed utendum verbis: die Worte; Weils in angeregter kurzen Notul nichts vorhergienge worauff das Wort: Obgedachte: zu deuten wäre; præsertim cum vox ista neque actori quicquam prodesset, neque Reæ juraturæ desuper sine scrupulo esse possit; His non obstantibus, insistente libelli verbis Actore Juramentum deferente, notulam a Secretario Judicii sic conceptam fuisse:

Ich N. schwere &c. daß ich von meinem Ehe-Herrn / obgedachte Worte &c. &c.

Mihi certe videtur, obstinationi deferentis nihil hic dandum esse, neque vel verbum otiose in Notulam juramenti transferendum, cum nihil sit æque tenerum quam Conscientia, nec gravius quicquam ac Deum sibi ipsi Ultorem Mendacii & vindicem postulare.

THES. XV.

Cæterum non prodest semper circa Notulam Juramenti admittendam juraturum nimis delicatum esse, ne si forte

forte deferens inde ejus contumaciam accuset, sententia super desertione jnramenti proferatur. Unde haud ita pridem cum ad requisitionem Præfecti Belticensis in causa L. F. contra S. & J. D. J. Dni. Scabini Lipsienses pronunciassent: Daß Beklagter über das / so er verneinet / sein Gewissen / Wissenschaft und Wohlberuust ꝛc. zu eröffnen schuldig: Et Reus intra octiduum se quidem obtulisset, in termino autem ad jurandum præfixo Notulam super veritate, non vero Credulitate conceptam impugnasset, quasi hæc libello ac sententiæ non conformis, ipseque senex & labilis memoriæ esset, ac insuper addidisset simul aliam, super qua jurare non detrectaret, formulam, Actore ejus contumaciam accusante lidem Scabini M. Apr. a. c. responderunt: Daß Beklagter an dem ihm zuerkannten Ende sich versäumet ꝛc. rejectaque est ab Ill. Sen. Aul. Dresd. Provocatio inde ad Potentissimum Regem ac Electorem interposita.

THES. XVI.

Nunquam autem præcise cogendus est Reus vel Actor ad præstandum juramentum, quod vel Reo ab Actore vel huic a Reo super exceptionibus est delatum, sed declinari illud potest vel per relationem, vel per probationem pro exoneranda conscientia O. P. J. S. Tit. 18. §. 8. vers. ob er den End referiren. Carpz. P. 1. C. 14. D. 1. Est vero Relatio actus, quo jusjurandum litis decisorium in judicio parti a parte delatum eo fine refertur, ut adversarius juramentum relatum una cum eo, quod est de calumnia, præstare cogatur. l. 34. §. 7. l. 38. ff. de jurei. l. 9. C. de reb. Cred. Franzk. ad tit. ff. de jurei. n. 111. & seqq. Brunnem. ad d. l. 38. ff. eod. c. 36. X. de jurei. O. P. J. S. Tit. 18. §. ferner die Relation. Carpz. P. 1. C. 14. D. 1. & Lib. 3. Resp. 50. Process. tit. XI. art. 4. n. 1. Obtinet illa, etiamsi in Actis ab eo, cui juramentum est delatum, hæc non fuerit petita Berlich. P. 1. Concl. 32. n. 42. Carpz. ad d. C. 14. D. 1. n. 6. Nicolai in Proc. P. 1. Cap. 40. n. 1. dummodo tamen juramentum non fuerit acceptatum; eo enim semel acceptato relatio cessat

cessat Carpz. in *Proc. tit. XI. art. 4. n. 6. seq. & ad d. C. 14. Def. 3.* Brunnem. in *Proc. Civ. cap. 23. n. 13.* In quibus causis relatio locum habeat, recensent Dd. passim. vid. Nicolai *d. l. n. 3.* Martin. *ad all. §. 8. Tit. 18. O. P. J. S. n. 67.* Ubi exhibentur quoque casus, relationem non admittentes, e. g. si super facto proprio, cujus alter notitiam habere nequit, fuerit delatum *l. 11. §. 2. & ult. l. 12. ff. rer. amor. junct. O. P. J. S. d. tit. 18. §. 5. vers. Weil es aber.* Carpz. *P. 1. C. 14. def. 10. & in Proc. d. tit. 11. art. 4. n. 35. seqq.* Idque non solum si Actor intentionem suam soli Conscientiæ Adversarii commiserit *d. §. 5. O. P. J. S.* verum etiam si factum Rei non solum ipsius conscientiæ, sed & scientiæ & notitiæ simul commissum fuerit. Utroque enim casu relationem cessare tradit Carpz. *ad d. C. 14. d. 10. & 11. it. Lib. 3. Resp. 42. n. 15.* Hart. Pistor. *Obs. 184. n. 5. seqq.* quamvis alias posteriori casu super facto alieno vel communi, cujus de veritate æque constat Actori ac Reo, ea fieri possit monente *ibid.* Carpz. in *Proc. d. tit. XI. art. 4. n. 41. seq.* vid. Nicolai. *all l.* Nam ad factum an referibile sit, magis quam ad formulam delationis respiciendum esse quoque monet Dn. Schwend. *ad Fibig. Proc. p. 1366. pr. junct. p. 1360. in fin.* Et hac ratione verberibus læsus factum verberationis extra tumultum contingens fere melius scire, atque propterea relatum sibi juramentum bene præstare potest; uti A. 1695. ad Præfecturam Viteb. in causa Hanack's contra Liebaun pronunciatum esse constat, licet antehac dissentientes sententiæ dictæ fuerint.

T H E S. XVII.

Ut autem Relatio effectum sortiatur, requiritur ut Judex eandem quoque sicuti delationem, per sententiam approbet. *l. 12. §. 1. C. de reb. cred.* Cognoscendum enim est & hic ab ipso, an referens referendi facultatem habeat, & ne ejus autoritate forte aliunde perjuriis via aperiatur, aut nulliter juramentum præstetur *arg. l. 2. C. de indict. viduit. toll.* Quem in finem Providus Judex potestatem referendi alioquin ex sola dispositione Juris competentem Schwend. *d. l. p. 1357. pr.* in foro nostro

stro

stro Sax. jurare jusso, licet ipse hoc non statim petierit, in sententia quandoque reservare solet; quo in casu ita concipitur sententia: Es wolte denn Kläger (oder Beklagte) den Haupt End referiren / damit wurde er 2c. Facta vero ab eodem relatione, jusjurandum ab adversario præstandum esse pronunciat, hac formula:

Diemeil Beklagter auff die erhobene Klage geantwortet / und derselben nicht geständig / auff solchen Fall aber Kläger den Grund seiner Klage ihm in sein Gewissen / Wissenschaft und Wohlberuust gestellet / und diesen End beklagter Klägern hinwiederum referiret / so ist Kläger den ihm referirten End nebst dem Ende vor Befehde / und also so beyde Ende zugleich zu schweren schuldig. B. R. W.

THES. XVIII.

Ad declinandum porro juramentum ipsa probatio pro exoneranda conscientia jurare jusso permittitur O. P. J. S. tit. 19. vers. Und er wolte sich des Endes zu entledigen sein Gewissen mit Beweisung vertreten 2c. Carpz. P. 1. C. 14. D. 14. & Lib. 3. Resp. 50. n. 4. seq. & Resp. 55. n. 2. seq. in Proc. tit. XI. art. 5. Non enim semper relatio expedit, præprimis si deferens sit exiguæ & vilis conditionis, qui libenter juraret, modo pecuniam consequeretur Berlich. P. 1. Concl. 32. n. 22. Neque etiam is turpiter facit, qui religione magis, quam conscientia motus ad probationes confugit l. 21. C. de fide instrum. Brunnem. in Proc. civ. cap. 23. n. 14. Carpz. ad d. Const. 14. D. 14. & Lib. 3. Resp. 50. n. 6. sed prudenter potius, qui litis victoriam, quam ex probationibus liquidis sibi exploratam comparare potest, certo partis perjurio non committit l. 34. ff. de jurej. Carpz. cit. l. Resp. 50. n. 6. it. in Proc. d. tit. XI. art. 5. n. 6. Ipsa autem Probatio pro exoneranda conscientia in quo potissimum consistat ac obtineat vel etiam cesset, videatur Martin. in d. Tit. O. P. J. S. 19. per tot. add. Disputat. Inaug. sub Præsid. D. Svevi P. P. 1695. in hac Acad. habita de Probatione Pro exon. Consc.

THES.

THES. XIX.

Posse etiam quandoque Actorem juramentum Reo delatum revocare, & ad probationes contrarias confugere, constat per *Text. O. P. J. S. Tit. 18. §. 2. vers.* Soll ihm solches / ibique *Martin. n. 1. seqq.* & Doctores ab eo allegati. Dummodo fiat re adhuc integra, refutisque expensis quas ob revocationem frustra esse factas apparet. vid. *D. Rivin. ad O. P. J. S. d. tit. 18.* Quod si enim reus jurandi conditionem jam acceptaverit, vel actori retulerit, vel etiam super juramenti delatione sententia interlocutoria lata, ac vires rei judicatæ per Leutationem vel Appellationem quippe non suspensa fuerit consecuta, hæc juramenti revocatio locum invenire nequit *Berlich. P. 1. Concl. 32. n. 4. Carpz. P. 1. C. 12. D. 4. & in Proc. tit. 11. art. 1. n. 132. seqq. junct. O. P. J. S. d. tit. 18. §. 2. vers.* wenn es aber geschicht / ehe und zuvor der Beklagte. ibique *Martin. n. 7. seq.* Excepto tamen hoc casu: si post acceptationem noviter reperta fuerint documenta ad probationem ducentia *Berl. d. Concl. 32. n. 6.* & ex iisdem appareat, sine perjurio juramentum facile præstari non posse *Mev. P. 11. Dec. 93.* Siquidem tunc non obstante Rei acceptatione aut Judicis sententia, Revocatio juramenti, refutisque expensis, & juramento desuper præstito, quod scilicet instrumenta & probationes noviter fuerint repertæ, adhuc conceditur per *l. 11. C. de reb. cred. ubi Brunnem. n. 10. seq. & in Proc. Civ. cap. 23. n. 12. Carpz. ad d. Const. 12. D. 4. n. 5. & in Proc. d. l. n. 135. seq.* uti Consistorium Viteb. d. 20. Jan. 1697. in causa Marien-Knaben pronuntiavit. Hanc autem Revocationem Providus Judex eo magis admittere tenetur, si deferens probare velit, alterum esse perjuratorum. An tamen soli deferenti hæc concessa sit juramenti revocatio, an vero quoque Referenti? Doctores inter se varie disquirunt. Referentem enim juramentum istam relationem revocare ac conscientiam probationibus defendere vel juramentum prius delatum præstare haud posse, putat *Petr. Heig. P. 2. qu. 4. n. 37. Berl. d. Concl. 32. n. 8. teste Dn. Rivin. cit. l. ubi tamen*

tamen

tamen etiam Referentem ad probationem, si documenta noviter reperta sint ac liquida, ex quibus constare possit Actorem pejeraturum, & per consequens ad ipsam quoque revocationem admittendum esse, eleganter deducit. Præsertim cum utrinque eadem militet ratio, quod perjurio haud sit danda occasio, sed potius præscindenda. Cui accedit, quod is, qui ante præstitum juramentum ex noviter forsan repertis documentis aut probationibus contrarium evidenter potuerit probare, ad evitandum hoc modo perjurium inconscientia sua adstringatur. *Mev d. Decis. 93. & P. 4. Dec. 118. per tot.*

THES. XX.

Cum omnis hodie regulariter, qui alteri juramentum defert, prius de Calumnia jurare teneatur, antequam alter ad præstandum juramentum compelli possit per *l. 34. §. 4. ff. de jurej. Setser. de Juram. lib. 3. cap. 3. n. 65. & lib. 4. cap. 5. Carpz. in Proc. tit. 12. art. 1. n. 20. & P. 1. Dec. 46. n. 4.* ideo de isto Juramento quædam hic referre nos instituti ratio monet. Est autem in genere Juramentum Calumniæ der Eyd vor Gesfahrde religiosa litigatorum asseveratio, qua uterque juramento promittit, se nihil calumniæ causâ vel agere vel respondere, sed sui juris opinione & fiducia niti. vid. *Beust. ad rubr. ff. de jurej. n. 172. Setser. d. tr. cap. 1. n. 4. Martini Comment. ad O. P. J. S. Tit. 33. rubr. n. 1.* Idque vel *Generale*, quò Litigatores eorumque Procuratores ad totam causam se nihil calumnian- di animo contra adversarium suscipere profitentur *l. 14. §. 1. C. de judic. l. 1. & 2. C. de jurej. propter Cal. dand. Nov. 49. cap. 3. vel Speciale*, quod in certis tantummodo actibus singulisque judicii partibus exigitur, vid. *Martin. cit. l. n. 4.* Illud seu *Generale* a foro nostro Saxonico exulare satis evincitur ex *O. P. J. S. Tit. 33. vers. Ob wohl das Juramentum Calumniæ Generale in unsern Landen nicht bräuchlichen. Carpz. in Proc. tit. 12. art. 1. §. 2.* Ejus tamen loco *Juram. Cal. Speciale* retentum est, *Landrecht lib. 2. art. 22. §. zeuget. junct. O. P. J. S. d. tit. vers. So mögen unsere. quod alias malitiæ German. Der Eyd vor*
D
Ges

Gefehrde/ it. Eyd der Bosheit. Quamvis hoc, nempe *malitia* separatam speciem juramenti constitutere & a Calumniæ Speciali multis differre tradant Specul. lib. 2. P. 2. tit. de juram. cal. Rauchbar. P. 1. qv 11. n. 34. Gail. lib. 1. Obs. 87. Beust. in rubr. ff. de jurejur. n. 183. Vid. Berlich. P. 1. Concl. 57. n. 5. Injungitur vero illud potissimum deferenti, ceu jam dictum est, juramentum parti adversæ, quò juret, se non calumniæ causa Reo jusjurandam detulisse l. 34. §. 4. ff. de jurej. l. 9. C. de reb. cred. P. 1. Const. El. Sax. 12. §. wenn aber. ibique Carpz. Def. 22. O. P. J. S. d. tit. 18. §. Nachdem auch derjenige/ibique Martin. n. 2. Unde in curia Suprema formula hujus juramenti usitata hæc est: Ich N. schwere/ daß ich in meiner wider N. rechthängigen Sachen dessen Gewissen durch Zuschreibung des Eydes gefährlicher weise nicht beschweret / sondern es dafür halte / daß solches billich von mir geschehe. &c. Ex quibus patet, hoc juramentum, de quo jam diximus, iis tantum in casibus exigi posse, ubi juramentum judiciale a parte defertur parti; Non autem ubi a Lege vel Judice juxta O. P. J. S. cit. tit. 18. §. 7. vid. Nicolai in Proc. P. 1. C. 39. n. 10.

THESES. XXI.

Juramentum vero *Malitia* in specie quibusdam Doctoribus sic dictum est, quo litigantes, se nihil calumniæ aut litis differendæ gratia facere profitentur, daß sie eines und das andere nicht gefährlicher Weise/ noch zu Verzug der Sachen/ sondern allein zu ihrer Nothdurfft thun. O. P. J. S. Tit. 33. §. 1. vers. daß er es nicht gefährlicher Weise. add. Carpz. P. 1. C. 12. D. 21. n. 7. & D. 22. Nicolai in Proc. P. 1. Cap. 39. n. 7. Defert hoc Juramentum Judex, coram quo causa controversa ventilatur, tam actori quam Reo ut personis Principalibus l. 2. §. 4. & avth. principalis. C. de jurejur. propt. cal. Beust. ad rubr. ff. de jurej. n. 184. Setser. de juram. lib. 3. cap. 3. n. 22. quoties nempe suspicatur, vel a Reo vel ab Actore malitiose quid in Judicio fieri, ad compescendam temeritatem litigantium. Carpz. in Proc. tit. 12. art. 1. §. 3. Philipp. in Ordin. Proc. Sax. Tit. 33. Confid. 2. non

non

non tantum ad instantiam partis juxta cit. O. P. J. S. Tit. 33. vers. es wäre gleich von Parth gesucht. vid. Dn. Schwendendorff. ad Proc. Fibig. P. 1. cap. 2. membr. 3. §. 16. ubi formulam petendi communicat; sed & quandoque ex officio l. 2. §. 4. C. de jurej. propter cal. l. 5. §. 14. ff. de N. O. N. c. 2. §. ult. de juram. cal. in 6. O. P. J. S. tit. 33. vers. Aus Richterl. Ampte. Carpz. P. 1. C. 12. D. 22. n. 7. & P. 1. Dec. 46. n. 3. Cujus pro arbitrio, quotiescunque in Processu necessarium existimatur, juramentum istud litigantibus imponitur Berlich. d. Concl. 57. ubi causas insimul refert, in quibus hoc juramentum locum porro obtineat E. g. si quis peregrinos & ultramontanos testes litis protahendæ gratiâ producat, vel frivole Leutationem interponat aut Appellationem, & quæ sunt aliæ ibi adductæ, quò B. L. remittimus. Regulariter objectum seu materia hujus juramenti sunt omnes causæ, de quibus in judicio agitur l. 1. & l. 2. C. de jurej. propt. cal. Nov. 49. c. ult. in quas calumniæ suspicio cadere possit. vid. Setser. d. lib. 3. cap. 4. An etiam Matrimoniales? in his sanè propter periculum perjuri, cum fieri vix possit, quin una pars falso juret, cessare hoc juramentum, nec facile in Consistoriis exigi monet post Beust. in tr. de Jur. Connubior. Part. 1. cap. 25. per tot. Joh. Coppen. lib. 2. Obs. 105. n. 12. nisi magnitudo causæ aliud svadeat. vid. Setser. cit. l. n. 13. Formula autem jurandi hodie sic concipi pro diversitate casuum solet:

Ich N. schwere / daß ich meine wider jüngst Urthel eingewandte Leuterung (vel pro ratione causæ alium articulum processûs) nicht gefährlicher Weise / noch zum Verzug der Sache / sondern allein zu meiner Nothdurfft eingewendet. &c.

THES. XXII.

Porro ne temere forsan litiganti, si is, quò sumtibus parcat, quibus aliàs plurimi a temerariis absterrentur litigiis, paupertatem alleget, fides ejus nudæ assertationi statim habeatur, Juramentum aliquod est introductum, quo is

D 2

ad

ad docendam paupertatem hujusque beneficium obtinendum in judiciis nostris adstringi solet. Estque illud Jusjurandum Paupertatis vulgo der Armen-Eyd/ quod præstare tenentur litigantes pro pauperibus se venditantes pauperumque jura & Advocati auxilium implorantes Carpz *in Proc. tit. 12. art. 5. n. 54. seq.* Admittitur vero ad illud quis non aliter, priusquam fidem fecerit de paupertate, ac testimonium desuper a Magistratu suo datum in Judicio exhibuerit juxta O. P. J. S. *Tit. 1. §. Würde sich nun in verb. sie das juramentum paupertatis nach eingenommener Erfündigung schweren.* Quam Providam Judicis in allegatam paupertatem ac testimonium inquisitionem Serenissimus Legislator ideo desideravit, quod periculum animæ ob metum perjurii pertimescendum sit ab iis, qui spe lucri consequendi adjurandum oppidò faciles se præbent semperque paratissimos, jusjurandum pro re levidensi habentes. Ziegl. *ad cit. l. Ord. P. J. S. verb. juramentum Paupertatis. add. Carpz. d. art. 5. n. 59. seq.* Hinc etiam in foro nostro Saxon. Judex inferior, causæ meritis utcunqve exploratis, ac paupertatis allegatæ argumentis examinatis, malitiam Pauperis, si quæ apparet, ad Superiorem deferre tenetur ejusque rescriptum expectare per O. P. J. *all. tit. verb.* Von andern Untergerichten aber uns der Sachen Beschaffenheit unterthänigst. referiret/ und rechtmäßiger Anordnung darinnen erwartet werden. Formula ejusmodi subjectissimæ Relationis habetur in Commentar. Martin. *ad d. text. n. 5. § 7.* ubi sentionandi simul exhibetur formulâ h. m.

Würde Kläger daß er dermassen unvermögend / daß er die Rechtfertigung nicht verlegen könne / gnugsamen Schein zu den acten bringen / und so dann das Juramentum Paupertatis würcklich leisten / so ergeheth darauff ferner / was recht ist. B. N. W.

Ipsum autem juramentum præstari solet his verbis:

Ich N. schwere / daß ich so arm bin / auch an fahrenden und
liegen

liegenden Gütern / oder auffestehenden gewissen Schulden nicht vermag die Gerichts-Gebühr zu erlegen / noch einen Advocaten zu besolden / auch um Leistung dieses Eydes willen mein Haab oder Gut nicht veräußert noch andern übergeben habe / und so ich in Rechten obliegen oder sonst zu vermögen kommen werde / also dann einen jeden nach seiner Gebühr auffrichtige Bezahlung thun wolle. 2c. 2c. vid. Ziegler. *all. g. loc. add. Dn. Rivin. in Annot. ibid.*

THES. XXIII.

Sicuti per testes in judicio fieri quoque solet probatio, ac testes recipere juramentoque obstringere actus judicialis habetur *l. 15. C. de appell. c. 11. X. de Probat.* ab illis vero ante depositionem jurandum esse, ipsa praxis docet: ideo de hoc Juramento Testium, quæque circa illud providi Judicis partes, dicendum jam erit. Est igitur Juramentum testium der Zeugen Eyd / quo testes se ad ea, de quibus interrogabuntur, veritatem vel notitiam suam fideliter detesturos esse promittunt *D. Menke in Tract. Syn. Pand. Tit. ff. de jurei. p. m. 178.* Ex hoc Juramento, quod ipsa substantialis solennitas testimonii habetur *arg. c. 2. X. de Sponsal. Setser. de juram. lib. 3. cap. 9. n. 7.* cum omnis fere attestatorum vis atque potestas pendeat, adeo ut nec aliter fidem faciant, quam si juratæ sint *l. 9. ubi Brunnem. n. 1. C. de testib. l. 18. & l. 19. C. eod. c. 1. XXII. qv. 1. c. 20. III. q. 9. c. 5. & c. 17. c. 51. X. de testib. & attest. c. 39. X. eod. add. S. Landrecht. lib. 3. art. 32. Finkelth. Obs. 32. n. 12. Carpz. P. 2. C. 43. D. 8. n. 6. P. 1. Dec. 13. n. 21. & Dec. 24.* Judex illud testibus remittere nequit *Carpz. in Proc. tit. 13. art. 4. n. 84. & tit. 1. art. 1. n. 44* postquam juramentum hoc introductum est favore partium, contra quem in contrarium nihil constitui vel concedi potest; Nisi voluntate & consensu utriusque partis *c. 39. X. de testib. O. P. J. S. tit. 20 § 3. vers. ohne beyder Theile ausdrückliche Bewilligung. Finkelth. Obs. 95. n. 18. Carpz. P. 1. C. 16. D. 31. n. 7. & in Proc. d. l. Brunnem. in Proc. Civ. cap. 20. n. 65.* ubi hic tamen

monet, Judicem quandoque ex justa causa, non obstante hac renunciatione partium, juramentum deferre, v. g. si agatur de tali negotio, ubi partes non possunt remittere quicquam, veluti in negotio matrimoniali, quando de Matrimonio dissolvendo agitur, ubi hæc juramenti remissio nihil operari potest. add. Gail. *lib. 1. Obs. 101. n. 6.* Dn. Schwenden-dörff. *ad Proc. Fibig. P. 2. cap. 2. memb. 2. sect. 1. §. 4. n. 676.* Vel etiam de præjudicio publico, utputa in causa Criminali. vid. Setser *de juram. lib. 3. cap. 9. n. 39.* Nicolai *in Proc. P. 1. Cap. 58. n. 9.* quippe ubi Reipublicæ interest, omnibus modis providere, ne delicta maneant impunita *l. 51. §. 2. de L. aqvil. l. 14. C. de pæn. l. 95. §. 1. ff. de solution. & quæ sunt plures aliæ ibi adductæ.* Ratio autem cur Testes hoc juramentum ante depositionem præstare teneantur juxta *l. 9. C. de testib. c. 17. X. cod. O. P. J. S. cit. tit. 20. §. 3. vers. auf vorgehend den gewöhnlichen Zeugen-End.* ibique Martin. *n. 25.* potissimum hæc a Doctoribus notatur: ne spe remittendi juramenti animosius deponant, & post depositionem potius sit juramentum purgationis ob propriam personam præstitum. Donell. *ad. l. 9. n. 5. C. de testib. Brunnem. ad d. l. 9. n. 2. seq. & in Proc. Civ. cap. 20. n. 61.* Licet in Inquisitione criminum juramentum testis post factam ejusdem depositionem, ex qua judex se infomare potuit, demum præstari soleat. Carpz. *Pr. Cr. q. 114. n. 69.*

THES. XXIV.

Hujus autem juramenti præstationem præcedat maxime necesse est non tantum diligens Judicis in conditiones ac qualitates Testium, causarumque, super quibus ab iis jurato testimonium dicendum, naturam & qualitatem inquisitionis, sed & seria illa a Judice nunquam negligenda admonitio, ne temere falsoque juretur & Deus ultor provocetur severus; cum Testis perjurus obnoxius fiat Deo quem contemnit, Judici, quem decipit, innocenti, quem lædit juxta *c. 80. CXL. qv. 3. c. 1. X. de Crim. fals. Rittershus. ad Novell. P. 9. cap. 2.*

cap. 2. n. 36. Brunnem. in Proc. Civ. cap. 20. n. 64. add. Martin. cit. l. n. 88. seq. ubi modum ejusmodi admonitionis exhibet. Quibus præmissis ipsa sequitur juramenti præstatio in Præsentia litigantium juxta O. P. J. S. tit. 20. §. 3. vers. Sollen dieselben in Gegenwart der Partheyen &c. ibique Ziegler. in not. Licet litigantes depositionibus testium, uti quidem Jure Rom. volunt ob l. 18. C. de Fid. Instr., amplius non intersint c. 52. X. de Testib. Schwend. ad Fibig. proc. p. 1450. & textus Cod. de publicatione dictorum capi possit Nov. 90. c. fin. Magnif. Dn. Berger. ad Lauterb. p. 520. Formula hujus jurandi der Zeugen = Eyd apud nos in foro usitata fere talis est:

Ich N. N. schwere hiermit zu Gott/ mit Herzen und Mund/ daß ich in Beweisung (vel Gegen-Beweisungs Sachen) N. N. Klägern und Producenten (vel: Reproducenten) eines: N. N. Beklagten und Producten (vel Reproducenten) andern Theils/ betreffende &c. &c. auff diejenige Artikel und Fragstücken/ so mir fürgehalten werden/ die rechte reine und unverfälschte Wahrheit aussagen und berichten/ auch solches nicht unterlassen will/ weder um Gabe/ Geschencke/ Nutz/ Gunst/ Freundschaft oder Feindschaft/ Furcht/ noch um einiger anderer Ursachen willen/ wie die Mahnen haben/ und mich von der Wahrheit abhalten möchten. Ich will auch solche meine Aussage biß nach eröffneten Zeugniß bey mir verschwiegen behalten/ und keinen Menschen offenbahren/ alles &c. &c.

vid. Nicolai in Proc. Jud. S. P. 1. Cap. 58. n. 13. seqq. ubi etiam formulam jurandi Judæis præscriptam habet. add. Martin. all. l. n. 86. seq. Judicis tamen præsentia, sicuti semper in præstandis juramenti requiritur, ita quoque hic vel maxime desideratur ad vitandum inde perjurium. Quippe quæ terrere valet maxime pejeraturum, ne tam impudenter pejerare audeat, dum fieri facile possit ut ex jurantis vultu & titubatione Judex perjurium aut pejerandi proclivem volun-

volun-

voluntatem animadvertere ac jurantem dehortari queat, id quod de testibus præsertim asserere, quis dubitaverit? *l. 3. pr. §. 1. seq. ff. de testib. l. 21. §. ult. eod.* Anton. Fab. *in Cod. lib. 4. tit. 1. D. f. 31. n. 4. seq.* Carpz. *P. 1. C. 22. D. 19. n. 3. §. Const. 12. D. 39. add. Berl. Dec. 117. n. 6.*

THES. XXV.

Præstito a Testibus juramento ad ipsum examinationis actum proceditur. Ubi ad Judicis, si fieri possit, spectat officium, ut ipse Testes examinet, seque de causis scientiæ & rationibus eorum testimonii aliisque circumstantiis probe informet *L. 4. C. de Testib. Plot. Tract. de Juram. in lit. §. 49. n. 20.* singulosque juramenti præstiti nunquam non admoneat de dicenda rei veritate. *Hiltrop. in Proc. Jud. P. 3. tit. 9. cap. 4. n. 17. Brunnem. in Pr. Civ. cap. 20. n. 66.* Primo autem ab ipso testis examinandus est super interrogatoriis generalibus, deinde super articulis juxta designationem in directorio factam, & audita responsione testis super Articulum (quem ut & interrogatorium, Judex examinans, testi de verbo ad verbum prælegere, sententiam articuli & interrogatorii genuinam diligenter exponere, verbaque obscura illi explicare ac interpretari debet, ut intelligat testis, super quo respondere debeat) tandemque super interrogatoriis specialibus *Nicolai. all. l. n. 4.* Circa interrogatoria generalia Officium ac Cura Judicis examinantis Provida erit, ut non admittantur impertinentia, præsertim si sint criminosa: v. g. *Ob sich Zeuge öffentlicher Laster/ als Mordt/ Todschlages/ Diebstahles/ Ehebruch/ und dergleichen schuldig wisse?* Hæc enim quia dant occasionem perjurii & ad propriam detegendam turpitudinem adigunt, optimo consilio sunt prohibita *R. J. N. §. Es sollen aber. 53 id quod ad contestem quoque arg. L. fin. C. de Accus. extendit Dn. Schwend. d. l. p. 1428.* Unde & nemo in F. C. obstrictus est ad talia respondere *vid. Martin. d. tit 20. §. 2. n. 36. seq.* De Captiosis, multiplicibus, obscuris aliisque quid sentiendum sit interrogatoriis, vide sis *Berlich. Dec. 16. Farin. de Testib. L. 3. t. 8.*

l. 8. qv. 73. n. 48. Facta depositione dicta testium bene annotari solent. Qvalis vero hæc debeat esse annotatio, consulti potest Nicolai *d. l. Cap. 61. n. 17. seq.*

THES. XXVI.

Sequitur jam altera species Juramenti in Judicio præstandi, scilicet Legale, quod permittente Lege a Judice Partibus imponitur, & necessarium quoque dicitur, quoniam nimirum Judex *vel* necessario, etiam sine speciali imploratione illud deferre tenetur, *vel* causa dubia aliter decidi juste nequit, nisi hujus juramenti adminiculo. Definitur: quod sit jusjurandum a Judice *arg. l. 31. ff. l. 3. C. de jurej.* ob inopiam plenæ probationis vid. Schilt. *Exerc. ad ff. 23. th. 39. seq.* Bachov. *ad Treutl. Vol. 1. Disp. 21. th. 10. lit. A.* causa cognita vel Actori vel Reo pro diversitate probationis delatum. Et licet Dd. quidam non nisi unam Juramenti necessarii speciem faciant, Suppletorium scil. vid. Lauterb. *ad tit. ff. de jurej.* & Beust. *ad l. 31. ff. eod. n. 143.* Plures tamen dari causas dubias a Judice non nisi mediante juramento necessario decidendas, & per consequens plures etiam hujus dari posse juramenti species, quam Suppletorium, certi sumus. Quas & ipsa Praxis communis non solum, sed & alii Dd. agnoscunt. Beust. *ad rubr. ff. de jurej n. 126.* Primo itaque occurrit Juramentum Suppletorium, quod a Judice causa cognita vel Reo, si suam exceptionem, vel actori, si actionem, licet non perfecte, tamen ad minimum semiplene probavit, ad decidendam hanc causam dubiam imponitur, parte etiam non petente. vid. Menoch. *l. 2. arb. jud. qu. Cas. 190. n. 19.* Coler. *in Proc. Exec. P. I. cap. 10. n. 140.* Setser. *de Juram. lib. 4. c. 11. n. 10.* Atque hoc Juramentum Suppletorium in foro nostro Sax. frequenter satis adhiberi solet, eique locus est, quando, uti dictum, causa dubia est & inopiâ plenæ probationis laborat *l. 3. C. de reb. cred. l. 31. ff. de jurej. c. 2. X. de probat. Part. 1. Constit. El. Sax. 23. vers.* damit einer. ibique Carpz. junct. O. P. J. S. *Tit. 30. vers.* wenn einer sein Fürbringen nicht gnugsam noch voll
E
kommen

kommen erwiesen hätte. ibique Martin. add. Beust. *ad. l. 31. n. 17.7. ff. de jurej.* Finkelth. *Obs. 22. n. 6.*

T H E S. XXVII.

Censetur autem Causa dubia, quando aliquid probatum est, sed non sufficienter, semiplene tamen, utputa si Actor vel Reus per unum testem omni exceptione majorem probavit, neque ea probatio elisa est a parte adversa *d. l. 3. C. de reb. Cred.* vid. Brunnem. *in Proc. Civ. cap. 23. n. 22.* Franzk. *ad tit. ff. de jurej. n. 128. seq.* Hic igitur Doctores ac Interpretes nostri recte admonent, Judicem non statim, cum causa dubia apparet, aut probatio semiplena facta est, ad jusjurandum Suppletorium deferendum accedere debere, sed circumspecte ac considerate procedere, omnesque circumstantias diligenter & accurate examinare ac perpendere prius, uter scil. graviolem pro se habeat probationem, vel præsumtionem. Etenim cum Judicis discretioni & arbitrio commissum sit, cui hoc juramentum causa cognita velit deferre, Reo an Actori? *c. fin. §. ult. X. de jurej. l. 3. C. de Reb. Cr. junct. cit. Constit. 23. vers. das in des Richters Macht stehen soll.* ibique Carpz. *Def. 6. §. in Proc. tit. 12. art. 2. n. 45. seq.* Mascard. *de probat. Concl. 956. n. 72.* Ita ab ipso Judice, priusquam hoc imponat jusjurandum Suppletorium, quatuor potissimum requirunt Doctores: 1) ut qualitatem inspiciat probationis, uter pleniolem pro se habeat vid. Brunnem. *Cent. 3. Dec. 4. n. 4.* indeqve judicet cujus partis præsumtio vel probatio præsumptione contraria magis possit labefactari. Berl. *P. 1. Concl. 53. n. 14.* Mev. *P. 7. Dec. 375.* Brunnem. *in Proc. Civ. cap. 23. n. 23. seq.* 2.) conditionem personæ an sit honesta, & integræ vitæ, & quænam sit legalior fideque dignior, aut ad pejerandum proclivior. Berl. *cit. Concl. 53. n. 19.* 3.) Scientiam factorum, uter litigatorum veritatem melius scire credatur, & 4) naturam causæ. Vid. B. D. Ziegler *ad Proc. Sax. tit. 30. verb: daß das juramentum suppletorium. p. m. 184.*

T H E S.

THES. XXVIII.

Quod igitur concernit qualitatem probationis, videntum est, quinam semiplene probaverit, vid. Menoch. *lib. 2. de A. J. Qu. Concl. 2. Cas. 190. n. 20.* Coler. *de Proc. Exec. P. 1. c. 10. n. 14.* Berl. *P. 1. C. 53. n. 26.* Veluti per unum testem omni exceptione majorem, id est, integræ ac summæ opinionis hominem, contra quem ad minuendam fidem ipsius nihil opponi potest *l. 18. C. de testib. Carpz. Part. 1. Constit. 23. Def. 4. & 5. it. in Proc. tit. 12. art. 2. n. 29. seq.* Vel duos quoque minus idoneos, & qui ita majores non sunt, ut fidem plenam faciant. Seraph. *de Privil. Juram. 33. n. 48.* Mev. *P. 3. Dec. 402. & Dec. 297.* Brunnem. *ad l. 31. n. 5. ff. de jurej. vel præsumptiones ac conjecturas admodum urgentes tam juris Mev. P. 5. Dec. 172. seq. quam hominis si sint urgentissimæ. Idem P. 5. Dec. 281. seq.* Vel etiam per scripturas ejusmodi privatas, quibus vim semiplene probandi communis observantia dedit, quales sunt v. g. Libri Mercatorum, vid. Setser. *d. tr. Lib. 4. cap. 12. n. 14.* add. Carpz. *Lib. 3. Resp. 84. & in Proc. tit. 14. art. 3. n. 74. it. P. 1. Const. 17. Def. 35. & 36.* Finkelth. *obs. 79. n. 17.* Quod si itaque Actor semiplene ejusmodi probaverit intentionem suam, quam Reus negavit, Actori juramentum Suppletorium deferendum esse, dicunt Doctores per *l. 3. C. de reb. Cred. ibique Brunnem. junct. c. ult. X. de jurej. Beust. ad d. l. 31. n. 168. & seq. ff. de jurej.* Sin vero Reus, Reo. Setser. *d. tr. lib. 4. cap. 13. per tot.* Umm. *ad Proc. Disp. 14. th. 13. n. 78.* hoc est, si Reus actoris intentionem per se quidem veram esse concedat, sed per oppositam exceptionem ejusmodi quid afferat, cur damnari non debeat idque similiter semiplene probet: hoc casu Reo juramentum Suppletorium esse deferendum, ut hoc præstito Judex ejus juramentum secutus ipsum ab instituta actione liberet *d. l. 31. ff. de jurejur.* Cæterum, si uterque semiplene probaverit, dignitatem alterius præponderantem & mores magis probatos attendendos esse putant Dd. juxta Text. Ordin.

Proc. Jud Sax. Tit. 30. vers. auch in was Ehren/ Ansehen und Würden/ vid. Mascard. de probat. Concl. 56. n. 66. Klok. Vol. 2. Consl. 73. n. 21. Brunnem. cent. 3. Dec. 4. n. 7. At ubi omnia paria, Reo deferendum a Judice Provido hoc esse juramentum Suppletorium existimant Hillig. ad Donell. lib. 24. cap. 19. lit. ij. Berlich. d. Concl. 53. n. 19. & seqq. Menoch. l. 2. A. 7. Q. cas. 190. n. 19. Carpz. P. 1. C. 23. D. 6. & 7. it. in Proc. tit. 12. art. 2. n. 36. tum quia Actor potius hoc casu præsumitur pejerare, quam Reus, utpote qui majore cupiditate fertur ad obtinendum id, quod timet amittere, proindeque suspicione calumniæ carere non videtur; tum quia Actor paratus & instructus probationibus ad judicium venire debet, tum etiam quia favorabiliores sunt Rei quam Actores l. 125. ff. de R. 7. tum denique quia in dubiis promptiores ad absolvendum quam ad condemnandum esse debemus L. 47. de obl. & Act. Setser. lib. 4. cap. 13. n. 12.

THES. XXIX.

Imprimis autem ut conditionem personæ quoque Providus Judex inspiciat, cui nimirum hoc juramentum sit deferendum nec ne, maxime requiritur. Itaque haud deferendum esse a Judice hoc juramentum personæ, quæ non integræ opinionis est ac inculpatae vitæ, aut non legalis, neque fide digna, monent Dd. vid. Marqu. Freher. lib. 2. de Existimat. cap. 6. n. 13. Menoch. lib. 2. A. 7. Q. cas. 190. n. 12. Carpz. d. C. 23. D. 7. Ziegler. cit l. p. m. 184. Cum tales personæ in aliorum causis non sint testes omni exceptione majores, multo minus in propriis, is enim qui in supplementum jurat, testes vicem subit Stryk. ad Lauterb. lib. 12. tit. 2. ff. de jurej. p. m. 325. add. Beust add. l. 31. n. 180. ff. de jurej. Ummius ad Proc. Disp. 14. th. 14. n. 80. Et idèo nec Usurario nec Judæo deferendum erit hoc juramentum suppletorium contra Christianum L. pen. C. de Heret. Beust. cit. l. n. 188. seqq. Seraphin. de Seraph. privil. juram. 122. n. 6. & privil. 33. n. 204. ibique Benekendorff n. 173. Setser de juram. lib. 4. cap. 12. n. 32. seqq.

32. seq. Carpz. P. 1. C. 23. D. 7. & in Proc. tit. 12. art. 2. n. 47. Brunnem. in Proc. Civ. cap. 23. n. 27. licet in Camera Imperiali Judæo tale jusjurandum delatum referat Mynsinger. Cent. 5. Obs. 6. qvo de vid. Hartmann. in Obs. Pract. tit. 24. de juram. Obs. 6. in fin. Quomodo autem tali casu Judæus jurare debeat, annotat idem Myns. cent. 6. Obs. 20. Multo minus adjurandum admittere poterit Judex perjurum Myns. cent. 3. Obs. 59. Beust. ad d. l. 31 n. 207. ob notissimam illam rationem, quod semel malus semper præsumatur malus in eodem genere delicti Brunnem. ad d. l. 31. n. 13. ff. de jurej. Setser. d. 17. lib. 4. cap. 12. n. 25. Neque illum qui pronus vel suspectus est ad pejerandum Menoch. lib. 2. A. 7. Qv. cent. 2. Cas. 192. n. 3. & lib. 2. Consil. 109. n. 25. Benekendorff. d. l. priv. 33. n. 12. Quapropter ad evitandum perjurium Judex providus, si metuat, ne ille cui delatum est jusjurandum, falso juret, potest id revocare Borcholt. de jurej. cap. 6. n. 12. Setser. d. l. cap. 15. n. 16. Brunnem. Proc. Civ. c. 23. n. 7. præsertim si per interlocutoriam delatum sit sententiam Berl. P. 1. Concl. 54. n. 69. 70. seq. Ad vitandum etiam perjurium ut Judex deferat masculo potius quam foeminæ, Dd. jubent. Ummius ad Proc. Disp. 14. tb. 14. n. 81. Carpz. P. 1. C. 23. D. 7. n. 4. dum hæc ad pejerandum censeatur proclivior. c. 10. X. de V. S. Finkelth. Obs. 22. n. 12. Berl. de Concl. 53. n. 21.

THES. XXX.

Maximè præteterea videndum Judici, an Juraturus ex sensu aliquo corporeo, vel quia ipse actui interfuit & vidit vel audivit, certam rei habeat notitiam juxta O. P. J. S. tit. 30. vers. welche auch der Sachen. junct. l. 34. §. 7. ff. de jurej. Myns. Cent. 1. Obs. 13. & Obs. 68. n. 2. Beust. ad l. 31. n. 174. & 178. ff. de jurej. Setser. l. 4. cap. 13. n. 7. & cap. 12. n. 17. Brunnem. ad d. l. 31. n. 12. ff. de jurej. & in Proc. Civ. cap. 23. n. 25. Sicut enim in alienis negotiis nemo testis est idoneus, quam qui testificationi suæ elogium addere, seu dicti sui rationem reddere potest l. 4. C. de testib. multo minus in propria cau-

sa testimonium quis ferre poterit. vid. Beust. *ad d. l. 31. n. 219.*
 & *seqq. ff. de jureiur.* Cui & accedit, quod judiciale jura-
 mentum ei demum deferri possit, qui rei controversæ sci-
 entiam habet *l. 11. §. 1. in fin. ff. rer. amot.* ut idem quoque in ne-
 cessario valere debeat. Umm. *ad Proc. Disp. 14. n. 83.* Sed quid
 si neutra Pars certam rei notitiam habeat nec de Veritate
 jurare queat? An etiam de credulitate deferendum tunc sit
 juramentum ei, qui semiplene probavit, dispiciendum. Ne-
 gat Prukmann. *Vol. 1. Consil. 10. n. 93. & n. 118. & vol. 2. Consil. 18.*
n. 10. Conf. Brunnem. Proc. Civ. cap. 23. n. 25. Affirmat vero
 & de Praxi contrarium testatur Carpz *Part. 1. Const. 23. Def.*
8. & in Proc. tit. 12. art. 2. n. 50. seq a cujus sententia nec alie-
 nus est Mev. *P. 4. Dec. 121. n. 6. seq.* vid. Martin. *Comment. ad*
O. P. J. S. Tit. 30. n. 102. seqq.

THES. XXXI.

Sequitur tandem, ut paucis referamus, in quibus etiam
 causis hoc jusjurandum ob metum perjurii locum habere ne-
 queat. Respuunt ergo delationem Suppletorii Juramenti (1)
 Causæ criminales Setser. *lib. 4. cap. 14. n. 8.* Berl. *P. 1. Concl. 54. n.*
5. seq. Carpz. *P. 1. C. 23. D. 11. & in Proc. tit. 12. art. 2. n. 73. seq.*
 Gail. *Obs. 108. n. 12.* Richter. *P. 3. Dec. 108. n. 9.* cum in his pro-
 bationes luce meridiana clariores requirantur *L. fin. C. de*
probat. seu tales quibus id, quod in controversiam vocatur,
 directò probatur, vel saltem rem ita se habere, prout intendi-
 tur, verosimiliter ostenditur Umm. *ad Proc. Disp. 15. tb. 4. n. 21.*
 Idque intelligitur, si agatur de corporali condemnatione Rei;
 Secus si Civiliter vel ad pœnam pecuniariam, ubi huic jura-
 mento locum faciunt Dd. *per L. 3. §. 1. ff. de jurej.* Carpz. *in*
Proc. tit. 12. art. 3. n. 74. seq. & Part. 1. Constit. 23. D. 11. Berlich.
P. 1. Concl. 54. n. 8. 12. seq. Quod tamen rectè limitat Brunnem.
in Proc. cap. 23. n. 28. ut tantum procedat in illis delictis, quo-
 rum pœna non simul est infamia, ob generalitatem *dict. L. fin.*
C. de probation. Nam ob famæ periculum faciliores esse solent
 ad perjurium, vid. D. Stryk *ad Lauterb. p. m. 325.* Hinc (2)
 nec

nec causæ famosæ, id est, quæ infamant vel infamiam irrogant, hoc jusjurandum admittunt. vid. Beust. *ad l. 31. ff. de jurej. n. 161.* Berl. *d. l. n. 17.* Carpz. *in Proc. tit. 12. art. 2. n. 60.* Brunnem. *in Proc. Civ. cap. 23. n. 28.* add. Setser. *lib. 4. cap. 14. n. 5.* quando enim agitur de fama hominis, dicitur agi de magna & gravi causa, cum afficiat personam *l. pen. pr. ff. de v. ar. & extraord. cognit. l. 11.* ubi Dd. *ff. de manumiss. l. 8. § 2. ff. quod met. caus.* Beust. *c. l. n. 161.* Berlich. *d. l. n. 17.* Carpz. *in Proc. tit. 12. art. 2. n. 60.* Brunnem. *in Proc. Civ. cap. 23. n. 28.* add. Setser. *cit. tr. lib. 4. cap. 14. n. 5.* Siquidem causa infamiæ morti non minus, quam bona fama vitæ vulgo æquiparatur. *l. 9.* ibique Dd. *ff. de manumiss. vindict.* Beust. *ad d. l. 31. n. 1088 ff. de jurej. & in tr. de Sponsal. cap. 33.* Gail. *lib. 1. Obs. 123. n. 5. seq.* & major est qualibet causa pecuniaria *l. 104.* ubi Dd. *ff. de R. 7.* cum homo pluris facere debeat famam, quam omnia bona *l. 26. ff. si quis omiss. caus. testam. l. 5. C. de inst. & substit.* Respuunt porro juramenti Suppletorii delationem Causæ (3) civiles arduæ & magni præjudicii Seraphin. *d. tr. privil. 18. n. 46.* ibique Benekendorff. *priv. 31. n. 56. & priv. 33. n. 13.* Ex quibus quippe magnum afferitur damnum Reo, & magnum commodum ei, qui jurat Beust. *ad rubr. n. 85. & 113. seq. & ad l. 31. n. 238. ff. de jurejur.* Finkelth. *Obs. 22. n. 10.* Id quod Providi ac Prudentis judicis arbitrio judicandum Menoch. *lib. 2. A. 7. Q. cent. 1. cas. 72.* Setser. *de juram lib. 4. cap. 14. n. 4.* ex personarum & rerum qualitate. Beust. *d. l. num. 243.* In illis enim causis jurans non caret suspicione perjurii, quod propter lucrum ingens alios ad deponendum falsa corrumpat, aut ipse perjurium perpetret Setser. *de juram. lib. 4. cap. 14. n. 1.* Umm. *ad Proc. Disp. 14. tb. 15. n. 87.* Ingens siquidem robur habet pecunia, & ut in vulgato dicitur proverbio: Pecuniæ obediunt omnia; imo argentum est anima & sanguis mortalibus, hoc qui caret, nec sibi paravit sedulo, vivos hic inter mortuus circumambulat. Finckelth. *Obs. 22. n. 11.* Beust. *d. l. n. 242.* Setser. *d. tr. cap. 14. n. 3.* Aliarum causarum, quæ juramentum suppletorium non admittunt,

mittunt,

mittunt, catalogum recenset Berl. *d. P. 1. Concl. 54. per tot. Setser. d. cap.*

THES. XXXII.

